



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 134. Quid notandum sit circa privationem ob varia delicta.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42600

aut pensio, quia manet capax juris & domini fructuum, *Sanch. Barb. Castrop.* Decrevit tamen Congreg. III. Can. 5., ut antequam vota simplicia emittantur, omnia beneficia dimittantur, *Leur. q. 52.*

937 §. VIII. Beneficia ipso jure vacant per militiam secularem, quia est status impossibilis, *Gl. Gig. Az. Tond. Paris. Gonz. Lott.*, Unde dimissa militiam non poterit quis redire ad beneficium adhuc vacans, *Ricciul. Barb.*, qui tamen putant Clericum in Sacris constitutum venire tantum privandum: probabile etiam videtur, si tantum sit adscriptus militiae & necdum secutus castra, neque exercuerit militaria, non vacare beneficia ipso jure, *Gl. Az. Rebuff. Tond. Lott. Leur. q. 59.*

938 §. IX. Beneficia non vacant per captivitatem aut incarcerationem perpetuam, id enim nullus Canon statuit, *Tond. Lott. Luca: Nec obstat*, quod *Cap. Si Episcopus*, de suppl. neglig. prael. in 6., Ecclesia censetur vacare, Episcopo in captivitatem abducto, nam eodem modo censetur vacare, si fiat amens, nec ideo verè vacat, sed in tantum censetur vacare, quod jurisdictio devolvatur ad Capitulum, *Laym. Luca.* Quod si beneficiatus in captivitate vel carcere moriatur, beneficium vacat per mortem, nec in materia Canonica valet dispositio civilis legis *Corneliae* statuentis morientem in captivitate fingi mortuum in hora captivitatis, *Leur. q. 60.*

939 §. X. *Gl.* & alii communiter, teste *Pirh. l. 3. c. 5. n. 171.* docent per solam absentiam, quamvis 10. annorum, non censi vacare beneficium, nec beneficiarium ipso facto vel jure censi privatum, sed esse citandum: nisi tamen propter nimis longam absentiam & alias circumstantias aliquis censi possit beneficium pro derelicto habere, *Gonz. gl. 15. n. 64.*

940 Q. 134. Quid notandum sit circa privationem ob varia delicta. R. Seqq. §. I.

§. I. Certum est per aliqua delicta induci privationem beneficii: & quamvis multi teneant hujusmodi poenæ locum non esse nisi in delictis à jure expressis, eò quòd leges poenales non sint extendendæ, secundùm dicta l. i. n. 616., fitque hoc probabilius cum *Gonz. Garc. Levr.* p. 3. q. 169., tamen aliqui cum *Selv. & Rebuff.* docent posse extendi ad delicta expressis similia, sed hoc intelligunt alii, si à jure exprimitur poenam ad similia extendi posse. Debet autem esse delictum, non semper atrox, attamen magnum, quia privatio beneficii censetur mors civilis, sicut privatio vitæ est mors temporalis, *Luca* de benef. d. 75. n. 4.; quænam autem delicta censeantur magna, remittitur Judicis arbitrio, spectatis circumstantiis & qualitatibus, *Selv.* p. 3. q. 3. n. 2.

§. II. Sententia privationis hic, est vel hominis, 941
si Judex eam pronunciet; vel legis, si poena illa ab ipsa lege infligatur: differunt autem hæ sententiæ,
1. quòd sententia legis sit certior & majorem vim habeat. 2. Quòd probatio sequatur sententiam legis, & antecedit sententiam hominis. 3. Quòd executio sententiæ legis, saltem supponentis factum, prærequirat sententiam vel declarationem hominis, non contrà. 4. Quòd à sententia legis non detur appellatio, detur autem à sententia hominis. Vide *Levr.* q. 162.

§. III. Nullum delictum inducit privationem 942
beneficii ipso jure, nisi in jure ita sit expressum, *Felin. Coraf. Suar. Hoj., Henriq. Mandos. Rebuff. Garc. Lott. Pirh.* Et in dubio, si verba non sint clara, præsumitur tantùm inducenda per sententiam, *Tiraq. Gamb. Gonz. Garc. Paris. Lott. Pirh. Levr.* q. 170., Putantque *Gonz. &* alii per hæc verba, *eo ipso, hoc ipso*, significari privationem à lege ipso jure; imò & solis his, *privatus existat.* Vide *Levr.* q. 171.

943 §. IV. Si ad exequendam poenam privationis non exigatur factum hominis, *Bald. Felin. Dec.* & alii dicunt non requiri declarationem delicti; contradicunt *Gl. Ansb. Archid. l. Andr. Lott.* Et fatentur omnes non requiri, si factum, ex quo concluditur delictum, sit notorium, sed dicunt tum sufficere dari terminum ad excusandum factum, maxime si agatur de præjudicio irretractabili. Vide dicta l. 1. n. 612. Id autem hic dicitur notorium, quod non tantum est verum & manifestum, sed cujus veritas publicè est nota, secundum dicta l. 3. p. 2. n. 1219. Vide etiam *Leur. q. 163. 164.* Non sufficit autem allegari, quod delictum sit notorium, sed si negetur, debet Judici probari esse tale, *Lott. & alii cum Leur. q. 165.* Et quamvis interea temporis, dum pro declaratione delicti sit examen, beneficium sententiæ legis amissum censeatur vacare, & quidem à momento delicti, ideoque resignari non possit, secundum dicenda n. 986. Nec fructificet reo, nec ejus interea morientis obitu vacare censeatur, *Barb. Paris. Castrop. Lott. Chok. Leur. q. 166.*, nihilominus reum posse in conscientia possessionem retinere, & in hac manutenendum esse usque ad sententiam declaratoriam facti, docent *Covarr. Nav. Henriq. Sual. Vasq. Sot. Mol. Less. Laym. Az. Tond. Lott. Pirh.*; imò & manere dominum putarunt *Sot. Vasq. Mol. Bant. Gutt.* & alii apud *Garc. p. II. c. 10. n. 10.*, quamvis contradicant *Caj. Vega, Less. Valens.* & alii: ac in hoc conveniunt, quod non teneatur reus seipsum spoliare seu in seipso poenam exequi, uti etiam notavimus l. 1. n. 612., sed debere id fieri ministerio & auctoritate Judicis: è contrà tamen *Abb. Felin. Nav. Tirag. Paris. Hoj.* aliique cum *Garc. n. 18.* dicunt in conscientia teneri dimittere beneficium. Vide *Leur. q. 167.* In omnium sententiâ, si, v. g. Paro-

aus, cuius beneficio est conjuncta potestas absol-
rendi, eligendi aut conferendi beneficia, sit ipso jure
privatus beneficio ob crimen adhuc occultum, & ni-
hilominus ratione publici muneris ac officii absol-
vat poenitentes, eligat ad beneficia vel conferat, va-
lent hi actus, quia vel adhuc possidet prius jus, vel
saltem Ecclesia supplet, ad evitanda gravissima in-
commoda, uti facit jus civile L. *Barbarius*, ff. de
off. præt. *Abb. Caj. Az. Less. Leur.* q. 168.

§. V. Ad privationem per sententiam procedi 944
non potest ex diffamatione, adminiculis & præsum-
ptionibus, sed prærequiritur legitima confessio vel
concludens delicti probatio. Putat tamen *Luca* n.
8., si sit vehemens diffamatio, ob quam delictum
scandalosum apud populum habeatur pro certo, ac-
cedentibus indicis indubitatis, posse Judicem in ma-
gnis tribunalibus dilatare arbitrium contra infama-
tum. Vide *Leur.* q. 172. Quomodo autem detur ap-
pellatio, supplicatio vel recursus à sententia Judicis;
item exceptio nullitatis & notoriæ injustitiæ, vide
Leur. q. 173. & 178.

§. VI. Quamvis beneficiatus per sententiam 945
condemnetur de delicto, ob quod privari potest be-
neficio, si tamen sententia ei non imponat poenam
privationis, hanc non incurrit, sed resignare po-
terit, nisi privatio à lege expressè statuta sit ipso jure,
Felin. Rebuff. Paris. Lamb. Zerol. Gutt. Garc. Lott.
Leur. q. 175. Quòd si per sententiam ipsi poena pri-
vationis imponatur, beneficium illico vacat, *Abb.*
Rebuff. Lott. Leur. q. 174., Excipe, nisi sententia
esset nulla, quia quod nullum est, nullum præbet
impedimentum, secundùm Cap. *Illud*, de jure-
patr. *Paris. Leur.* q. 178. n. 1.; Item nisi appellet, de
quo vide dicenda n. 985.

§. VII. Per quæ delicta, & quomodo inducatur 946
pri-

privatio beneficii, videri potest fusè apud *Leur.*, Et
 speciatim an & quomodo inducatur ob non factam
 publicationem resignationis, explicat q. 758. & seqq.
 Ob non servatam formam à *Pio V.* præscriptam, q.
 184. Ob non promotionem ad debitos Ordines in-
 tra annum, q. 185. Ob non residentiam, q. 186.
 Ob omissionem habitus Clericalis, q. 187. Ob dene-
 gatam ostensionem tituli vel dispensationis pro reti-
 nendis beneficiis impossibilibus, q. 188. Ob non
 solutas Camere Apostolicæ annatas, q. 189. 190.
 Ob non expressum valorem beneficii, q. 191. 192. Ob
 apprehensam possessionem ante expeditionem litte-
 rarum, q. 193. Ob factam alteri possessori violen-
 tiam in apprehendenda possessione, q. 194. Ob vio-
 lationem sequestri, q. 195. Ob retentionem scriptu-
 rarum spectantium ad Cameram Apostolicam, aut
 non revelationem illius, qui retinet, q. 196. Ob cri-
 men falsi in litteris Apostolicis commissum, q. 197.
 Ob malam promotionem ad Ordines majores, q.
 198. Ob alienationem rerum Ecclesiæ vel beneficii,
 q. 199. Ob simoniam conventionalem, q. 200.
 Ob simoniam confidentialem, q. 201. 202. 203.
 Ob excommunicationem, suspensionem & infor-
 descentiam in eis, q. 204. 205. 206. 207. Ob ir-
 regularitatem, q. 208. Ob homicidium, mutila-
 tionem, vulnerationem, percussionem, q. 209. Ob
 assassinatum, q. 210. Ob procurationem abortus,
 q. 211. Ob Sodomiam, q. 212. Ob pollutionem
 extraordinariam & bestialitatem, q. 213. Ob de-
 floracionem Monialis, q. 214. Ob adulterium, q.
 215. Ob concubinatum, q. 216. 217. Ob perju-
 rium, q. 218. Ob blasphemiam, q. 219. Ob sacri-
 legium, q. 220. Ob furtum, usuram, incendia, &
 similia, q. 221. Ob incarcerationem beneficiati in
 ordine ad extorquendam resignationem, q. 222.
 Ob

Ob temeritatem, si quis sine presbyterio legat Missas & Confessiones audiat, q. 223. Ob simulationem supponentis se loco alterius pro beneficio obtinendo vel pro examine, q. 224. Ob crimen læsæ Majestatis humanæ, q. 225. 226. 227. Ob hæresin, q. 228. 229. Ob receptationem aut favorem hæretico exhibitum; vel ob procreationem ab hæretico, q. 230. 232. Ob apostasiam & schisma, q. 231. Ob imperationem beneficii ad preces hæretici, q. 233.

§ VIII. Si privandus citatus non compareat, est, 947. tanquam contumax, habendus pro convicto & confessio, adeoque ad pœnam ordinariam condemnari potest, *Luca* n. 7.; Si tamen compareat intra annum & purget contumaciam, cessat omnis effectus sententiæ: si autem compareat & purget post annum, quando jus in beneficio est alteri quæsitum, juvari non potest, *Farin. Lott. Leur.* q. 18.

§ IX. Delicta, quæ non privant ipso jure, non 948. impediunt restitutionem in integrum, *Abb. Paris.* Et quidem justè privatus restituitur ex gratia, injustè privatus, ex debito. Vide *Leur.* q. 179., ubi etiam explicat, an imploratio restitutionis in integrum suspendat executionem.

§ X. Beneficium vacans per privationem sive 949. juris sive sententiæ ob delictum vel aliam causam, cadit sub Regulam mensium, nisi aliunde sit reservatum, *Nav. Gonz.* Gl. 15. n. 156. Nequit autem conferri Judici nec Judicis nepoti, consanguineo, affini, sollicitatori, Procuratori, domestico, familiari, ob bullam *Pii IV. Cupientes*, apud *Gonz.* n. 158., ut sic vitetur occasio fraudum & injustitiæ.

Q. 135. *Ad quem spectent fructus beneficii post 950. mortem beneficiati, vel pensiones post mortem pensionarii. R.*

§ I. Fructus beneficii à die vacationis spectant, per